

Jahrmarek nomine electi feci sermonem in campo. Dux Magnus habuit 120 equos vel circa et pro consiliariis habuit secum Bartholdum de Oberg, Georgium a Bulaw, Clementem a Bulaw, Hinricum a Wittorp et cancellarium Hinricum Berekman; praeterea apud villam forte expectabant principes praedicti cum suis, nobiles domini Antonius de Schomburg et Simon baro et comes de Lippia, qui habebant circiter 160 equos, circa horam quintam in sero cum magna pompa civitatem Hildesimensem intraverunt domini invicem de ordine introitus et ordinem fecerunt et secundam istum ordinem electus cum omnibus praedictis equitavit ad curiam propriam et isto sero habebat cum omnibus praedictis debita convivia.

Die post feriam secundam finita summa missa electus cum fratre et comitibus et aliis processionaliter et electus fuit superpellicatus et ut clericus tonsus in capite, antecedentibus illum tubicinatoribus, tympanistis et aliis musicis, et tali modo accessit ad locum capitularem, in capitulo habuit secum fratrem et tres comites, in ipsorum praesentia fecit requiri capitulum, virum Henricum Holleman, vice seniorem, Henningum Jahrmarek, doctorem H. Cloet, Lippoldum de Bothmar, Johannem de Teteleben, Til. Brandes, B. Negenborn, H. Vechelt, Theodorum Raven, Joannem de Bodendiek, H. de Bunaw, Busso Spegel, F. de Hanse, Theodorum de Mandelslo, Joannem de Ilten et Wernerum de Reden, canonicos, qui praesentes electo juxta mandata apostolica episcopatus traderent possessionem; qua requisitione facta dominus electus exivit capitulo, et domini, ut est moris, modicum deliberaverunt et postea vocatus dominus solus. Paruerunt salvis statutis et ecclesiae consuetudinibus, dominus paratus fuit servare praemissa et flexis genibus juravit juramentum episcopi Hildesimensis solitum et illud sigillatum sigillo suo capitulo tradidit, quibus omnibus peractis capitulum cum electo intrarunt chorum et electum supra altare posuerunt et canticum *Te Deum laudamus* decantari fecerunt, quo finito prostratus ad veniam legerunt psalmum *Ad te levavi* cum Kyrie et collecta, et Holle-